

13.

B. C. D.

Pr. 36. num. f. a

1667, 10^a

permissu

Nobilissimi Jctorum Ordinis

34

In

Inclytâ Lipsiensium Academiâ

A. 1667. d. 12. Decemb. H. L. Q. C.

Sub

PRÆSIDIO

XLIII.

VIRI

Nobilissimi, Consultissimi, atq; Excellentissimi

DN. BARTHOLOMÆI LEON-

HARDI SCHVVENDENDÖRFFERI,

J. U. D. & Inſtit. P. P. Celeberrimi, &c.

Patroni, Promotoris, ac Præceptoris Opt-Max.

DISPUTATIONEM

DE

INFAMIA,

Publicæ Diſquiſitioni

ſubjicit

JOHANN CASPAR GRIEBNER,

Lipſienſis.

LIPSIÆ,

Literis JOHANNIS ERICI HAHNII.



P. 253

21



VIRO

Admodum Reverendo, Amplissimo, & Excellentissimo

DN. JOHANNI SIGISMUNDO
SCHWENCKIO,

S. S. Theol. Licentiato, & ad D. Joh. Luneburgi Pasto-
ri Vigilantissimo etc. Dno. Affini ac Patrono multis
nominibus suspiciendo,

Nec non

VIRIS

Amplissimo, Consultissimis, ac Clarissimis

DN. THEODORO NEFFEN, J. U. C.

& Reipubl. Chemnic. Prætori Spectatissimo,
ac Prudentissimo;

DN. JOH. ZACHAR. NEFFEN, J. U. C.

& apud Chemnicenses Practico Solertissimo,

*Dnn. Patrueibus, Patronis ac Promotoribus
maximoperè colendis,*

Hasce Studiorum Primitias

in signum

debitæ observantiæ

officiosissimè

dicat

JOH. CASP. GRIEBNER.



I. N. D. N. J. C.

CAPUT I.

De

DEFINITIONE INFAMIÆ.

Th. I.



Um Omnis, quæ à Ratione suscipitur de Re
aliqva Institutio, non solum Authore Cicerone L.
1. Offic. verum etiam Imperatore Sacratissimo Justi-
niano in L. 1. pr. ff. de Justit. & Jure. L. 1. ff. de LL. L.
1. de Procurat. L. 1. pr. Depositi, L. 1. de Capite minu-
tis, L. 1. de Ritu Nupt. &c. à Definitione proficisci

debeat, ut videlicet eò melius intelligatur, quidnam sit istud, de quo
disputamus; ideòque nos quoque inpræsentiarum D. Imperatoris
vestigiis insistentes, non immeritò initium hujus Tractationis, Chri-
sto Duce & Auspice Christo, à Definitione faciendum esse arbitramur.

Th. II,

Definimus itaque Infamiam, quòd sit pœna, Famam & existi-
mationem diminuens, orta ob turpitudinem quandam Vitæ, quæ
quis inter Bonos & Honestos haberi non meretur. pr. §. 2. Inst. de
pœn. tem. lit. 1. 8. pr. ff. de pœn. Schnobel. ad ff. Disp. 3. Th. 8. Wesenb.
in Paratitl. ad L. 3. ff. T. 2. n. 1. Hier. Treutlerus Disp. Select. Vol. 1.
Disp. 8. Th. 4. Brunnem. ad Paratitl. Wesenb. in L. 3. ff. T. 2. quæst. 2.
Ludvv. in Exerc. ad Instit. Disp. 17. Th. 8. Lit. D. Bachov. ad We-
senb. Disp. 8. Th. 4. Litt. a. Meier. in Colleg. Jurid. Argentor. ad L. 3.
ff. T. 2. n. 1. in f. Tileman. in Colleg. ff. Disp. D. 9. Th. 12. Petrus Heigius in
Quæst. Juris Civ. & Saxon. quæst. 21. n. 4. Cynus super C. ad L. 2. T. 12.
Sum. 2. n. 1.

Th. III.

In hâc Definitione, prout præscindit à Nominali & Reali, duo

A 2

con-

consideranda veniunt: *Rei Nomen* s. Definitum, & ipsa *Res* s. *Realis* Definitio. Nominis tractationem quod concernit, tria in illâ occurrunt excutienda: *Etymologia* s. *Originatio Vocis*, *Synonymia*, & *Homonymia*.

Th. IV.

Quod itaque ad Nominis Notationem attinet, compositum hoc est Vocabulum à particulâ *in* privativâ s. *Adversativâ*, (ut *Indoctus*, *Infimus*, *Infectus*, *Injustus* &c.) & *Famâ*, voculâ contrariæ significationis: Atque ita *Infamia* JCTIS idem ac *malam Existimationem*, *Contumeliam*, *imminutionem* ac *Detrimentum* famæ, denotat. *L. 1. ff. b. t. L. 5. §. penult. ff. d. var. & extraord. Cognit. Glossa in L. 1. ex quibus causis Infam. irrog. Cynus super C. L. 2. T. 12. Summar. 2.*

Th. V.

Etymologiam Homonymia excipit. Porro itaque sciendum est vocabulum *Infamiæ* ambiguum esse, & *Generaliter* acceptum, quamlibet, etiam *Levem maculam* sub sese comprehendere: si verò *Propriè* & *specialiter* sumatur, tunc solummodò *Juris vel Facti Infamiæ* applicabitur.

Th. VI.

Varia Nomina & Cognomina Infamiæ in *Jure Civili* reperire licet. Vocatur enim aliàs *Existimationis periculum*. *L. 8. §. ult. C. d. Heret. & Manich. Jactura Existimationis L. 31. d. Decur. 10. Dispendium Pudoris. L. 2. C. de offic. Reft. Prov. Opinioni imminutio. L. 6. §. 1. C. de post. Damnum Existimationis L. 1. C. si contra Matr. vol. Tut. Labes Pudoris. L. 17. C. de Excus. Tut. Ignominia L. 5. 14. C. b. t. Nota. L. 27. C. de inoff. Test. L. 2. C. de Sec. Nupt. L. 2. C. d. Tut. l. Curat. qui satisd. non ded. L. 7. C. de Re Milit. 12. 26. Græcis κακή Φήμη, κακοδοξία, ἀδοξία &c. dicitur. Vid. Meier. in Coll. Jurid. Argent L. 3. ff. b. t.*

Th. VII.

Atque Hæc de *Nominali Definitione*, (sine quâ ad ipsius *Rei cognitionem* feliciter perveniri vix potest,) dicta sunt: *Realis* autem *Nostra Definitio* Th. 2. statim exhibita, partim *Genere*, partim *Differentiâ Specificâ*, (uti aliàs quævis *Bona Rei Explicatio*) absolvitur.

Th. VIII.

Th. VIII.

Generis loco, Pœna ponitur. Hujusmodi autem Pœnam, necessum est, hîc intelligas, quæ Existimationem nostram, hoc est illæ dignitatis Statum, Legibus comprobatum aut moribus, propter delictum aliquod commissum, auctoritate Legum vel Honestorum Hominum, minuit aut corrumpit. L. 5. §. 1. d. Var. & Extraord. Cognit. Cynus super C. L. 2. T. 12. Summ. 1. n. 1. Azo ad 2. L. C. T. 12. n. 1. Zoësi Comment. ad L. 3. ff. T. 2. n. 1 Differentia Specifica petitur tum ab Objecto, tum à Causâ Efficiente, ac denique Effectu. Objectum circa quod versatur Infamia imprimenda, est Fama ac Existimatio: atque hæc per Infamiæ maculam à Lege, Judice, vel Honestis Hominibus delinquenti impositam, imminuitur. Causa Efficiens propter quam Infamia imponitur, est Turpitude Vitæ, orta vel ex Delicti alicujus perpetracione, (ad quod regulariter Dolus Malus requiritur) vel ex quadam perfidiâ, imposturâ, Latâ culpâ & similibus. Quæ singula Existimationi alicujus insigne aliquod Detrimentum inferunt, eundemque separant atque segregant à Quorumvis Proborum & Honestorum Consortio. en Effectum!

CAPUT II.
DE
DIVISIONE.

Th. I.

Infamiam porrò Dd. communiter duplicem statuunt. gl. & Dd. in l. 1. b. t. & in Rubr. C. eod. Landr. l. 1. Art. 51. aliam videlicet *Juris*, aliam *Facti*. Infamia *Juris* est, quam Lex ob turpe aliquod commissum Nocenti irrogat. l. 1. §. 7. & 8. ff. *postul.* Infamia verò *Facti* dicitur, quæ non ipso jure, & ex Legibus Deminutionem affert, sed famam solum apud Bonos & Honestos Viros gravat. l. 20. b. t. l. *aqvæ* 13. l. *verbum* 17. l. *Interlocutio* 19. C. b. t. Vid. *Wesenb. Paratitl. ad l. 3. ff. T. 2. n. 2. Schnobel ad l. 3. ff. T. 2. Disp. 3. Th. 8. Hier. Treut. Disp. Sel. Vol. 1. Disp. 8. Th. 4. Tileman in Coll. ff. Disput. D. 9. Th. 12. Bruneman ad Paratitla W. in l. 3. ff. T. 2. quest. 3. Zoësi Comment. in l. 3. ff. T. 2. n. 2. Meier. in Coll. Jurid. Argent. ad l. 3. ff. T. 2. n. 2.*

A 3

Th. II.

Th. II.

Infamiam Juris Lex imponit, vel *immediatè* & ipso jure, vel *mediatè* mediante Sententiâ Judicis. *Brunnem. ad Paratitla W. l. 3. ff. T. 2. quæst. 6. Azo ad 2. L. C. T. 12. n. 5. Franciscus Duarenus in t. ff. de his qui not. Inf. c. 3. Tileman in Coll. ff. Disp. D. 9. Th. 13.* Ipso jure per Legem Infamia infertur, quando hoc ipso, quo quid committitur Nocentem Infamia sequitur. Talis est

1. Mulier nubens intra tempus *Luctûs*, *l. 11. ff. h. t. l. 1. 2. C. de sec. Nupt. l. 15. C. h. t. l. 4. pr. C. ad SCtm. Tertull.* nisi Partum ante fuerit enixa, vel Veniam à Principe impetrasset, *l. 1. § 10. h. t.* Atque id Tempus olim 10. Mensium fuit, postea verò præfinitus est Annus Integer. *Treutlerus Disput. Sel. Vol. 1. Disp. 8. Th. 5. Litt. a.* Ratio autem prohibitionis consistit in Sanguinis turbatione, & Prolis incertitudine, ne Stirpes & Familiæ confundantur, cum incertum sit, utrius esset Mariti Partus, an Demortui, an verò secundò super inducti *l. 11. § 1. h. t.* Sed hoc Infamiæ genus Jure Canon. est sublatum. *per C. 4. § 5. X. de Sec. Nupt. Brunnem. ad Parat. W. ad. l. 3. ff. T. 2. quæst. 27. Ludov. in Exerc. ad Instit. Disp. 17. Th. 8. Litt. D.*

2. Mulier in Adulterio comprehensa. *L. palam quæstum 43. §. penult. de Ritu Nupt.* Viro autem alterius uxorem imprægnanti, non Lex ipsa, sed Sententia Infamiam infert. Id quod ideò receptum esse, *Treutlerus Disp. Sel. Vol. 1. Disp. 8. th. 5. Litt. 6.* autumat, quòd in Uxoris adulterio semper metui potest Partus supposititius, in Viri non item.

3. Infamiæ Labem quoque incurrunt, bina sponsalia, binasve Nuptias eodem tempore contrahentes. *§. affin. in f. §. secus Inst. de Nupt. L. 2. C. de Incest. Nupt. L. 18. C. ad L. Jul. de Adult.*

4. Quæstûs causa in Scenam prodeuntes *L. 1. v. qui artis L. 2. §. ult. §. seqq. h. t. l. 1. §. 6. de Postul.* Hûc pertinent Joculatores, non Thymelici, non Athletæ, non Pugiles *L. 4. pr. h. t. Tileman in Coll. ff. Disp. 9. Th. 15.*

5. In publico, Lenocinio aut Stupro turpem vitam viventes, vel Principaliter, vel Accessoriè. *L. 1. L. 4. §. 2. h. t. L. palam 43. de Ritu N.* Excipitur tamen Casus in *L. penult. ff. h. t.* ubi Imperator Severus rescribit, Mulieris famæ non officere, ejus quæstum in servitute factum esse.

6. Tutor Curatorve, sine permissu Principis, sibi aut Filio suo
eam ducens, quæ sub Tutelâ aut Curâ ipsius est vel fuit. *L. 7. C. de Interd. Matrim. l. 64. de Ritu Nupt. l. 4. 17. C. de Excus.*

7. Ob Delictum non Capitale dato pretio transigens, *l. 4. 5. ff. b. t. Ratio est, quia fateri Crimen censetur, qui paciscitur. l. quoniam 5. b. t. l. fin. ff. de Prævar. l. 4. de Jure Fisci.* Intellige autem de Transigente & post Litem Contestatam. Nam ante *L. C. de Furto, & similibus* posse transigi, multa Jura ostendunt. *L. post. decis. 13. C. de furtis. l. interdum 5. pen. ff. de furtis l. si tibi 17. §. 1. de pactis. §. sine jussu Prætoris præcedente.* Nam Jussu Prætoris excusat Reum in pœnis. *c. quod quis 23. de R. J. l. non vid. 167. §. qui jussu de R. J.* Et qui jussu Judicis transigit, ejus Confessio fingi non potest. Ubi autem nulla est Confessionis præsumptio, ibi Transactio non infamat. *Schnob. ad l. 3. ff. T. 2. Disp. 3. Th. 11. 7. de Delicto non capitali: Secus namque est in Capitalibus: Ibi enim ex Transactione præsumitur Animus avertendi capitalis periculi, non verò confessio. l. transigere C. ne Transact. cum sanguinem suum quocunque modo redimere liceat. per l. 1. de bonis eorum qui ante Sentent. Vid. Brunnem. ad Parat. tit. W. l. 3. ff. T. 2. quæst. 15.*

8. Qui improbum fœnus exercent, & Usuras Usurarum illicitè exigunt. *l. 20. C. b. t. l. 28. c. de Usur. Covar. l. 2. var. Resol. c. 3. n. 2. Menoch. c. 398. Molin. de Usuris n. 46. Vid. Schnobel. ad l. 3. ff. T. 2. Disp. 3. Th. 19. Ludw. in Exerc. ad Instit. Disp. 17. Th. 8. litt. d. Brunnem. ad Parat. W. in l. 3. ff. T. 2. quæst. 11. Azo ad l. 2. C. T. 12. n. 5. Duarenus int. ff. de his qui not. infam. c. 3.*

Th. III.

Dictum est hæctenus de His, qui ipso jure ac sola Lege sine Sententiâ Judicis infamantur: sequitur ut videamus nunc de illis, qui infamiâ notantur SENTENTIA JUDICIS. Per sententiam itaque Infamiæ Labes tunc demùm imprimitur, quandò Delictum commissum, Condemnatio non ipso Jure, sed per Judicis sententiam sequitur. *Treutlerus Disp. Sel. Vol. 1. Disp. 8. Th. 4. Zoësi Comment. in l. 3. ff. T. 2. n. 5. Meier in Colleg. Jurid. Argentor. ad l. 3. ff. d. 2. n. 29.* Ad hoc igitur, ut per Sententiam Infamia Delinquenti irrogari possit, requiritur & ut eadem sit valida, non suspensa per Appellationis beneficium, quæ faceret, eam non transire in Rem Judicatam, imò potius Pro-

Provocationis Remedio, extingveret Condemnationis Pronunciati-
 onem. *l. 1. in f. ad SCtm. Turpill. l. 6. §. 1. b. t.* β ut sententia in ali-
 quem suo non alieno nomine feratur *l. 1. l. 6. §. 2. b. t.* Undè Cautela
 datur Ei, qui convenitur furti, Mandati, aut simili Actione, quòd per
 Procuratorem litigare debeat, atque ita evitare Existimationis peri-
 culum. γ Ut in Definitivâ sententiâ expresse mentio Doli, de Judi-
 ce (non ab arbitro, cuius laudo vitæ atque Famæ causas Leges non sub-
 mittunt *l. quid ergò 13. §. ex compromisso h. t.*) fiat: Omissio enim ejus
 faciet reo integram existimationem *per l. 4. §. 1. & 2. de susp. Tut.* De
 cætero non immeritò *Quæstio* hîc moveri posset, *annon etiam ad in-*
famiam expressio lata culpæ sufficiat? Id quod jure affirmat Zoësius ob
 has præcipuè rationes: 1. Quia lata culpa æquiparatur Dolo, imò
 expresse Dolus dicitur in *l. magnâ 226. de V. S. l. 1. §. 5. de Oblig. &*
Action. 2. Quòd in actionem depositi dicatur tantum venire Dolus
l. 1. §. f. Depositi: & tamen latâ culpâ admissum, fidem non salvam fa-
 ciat. *l. quòd Nerva 32. eod.* 3. Hîc facit *l. 8. §. eum qui de precario,*
 ubi Jctus ait, solum Dolum venire, non etiam Culpam, subjungit ta-
 men etiam latam culpam Dolo contineri, ut habet *l. 1. §. penult. ff. si*
Menses. f. m. dif. 4. Quia in Contractibus Dolus & lata Culpa
 eodem modo puniuntur. Nec huic nostræ sententiæ quicquam *obstat*
§. susp. de susp. Tut. Non enim ibi positum nomen culpæ, generalis-
 ter de quavis culpæ specie est intelligendum, sed tantummodò de le-
 vi, uti passim capitur, quandò solum ponitur. *argumento l. 4. §. fin. l. in*
act. §. planè de in lit. jur. Donellus 16. Comment. 17. Vultej. Jurispr. Ro-
mana l. 1. c. 7. Zæsi Comment. in l. 3. ff. T. 2. n. 14.

Th. IV.

Inter hos itaque, quibus lex mediante sententiâ, irrogat infami-
 am, sibi vindicat locum

1. Miles ab exercitu Ignominia causâ, ab Imperatore, eòque
 cui de eâ re est statuendi potestas, dimissus *l. 1. ff. b. t. dixi, ignominia*
causâ: Nec enim militem infamem reddit Honesta è militia Dimis-
 sio, quæ Veteranis conceditur. *L. f. C. de his qui non impler. stip. L. 10.*
L. si sol. C. de Fide Instrum. neq; etiam Causaria, *per L. 2. & 3. C. de his*
qui non impler. stip. L. 10. sed sola missio ignominiosa, quæ fit ex causâ
 Ignominia, quod nominatim addi debet, si scilicet missionis formu-
 la omni ex parte perfecta esse debet. *Meier in Call. Jurid. Argentor.*

ad

L. 3. ff. T. 2. n. 9. Brunnem. ad parat. W. b. t. quest. 11. n. 1. Schnobel. ad
l. 3. ff. T. 2. Th. 10. Disp. 3. Antonius Matthæus in Coll. ff. Disp. 3. Th. 2.

2. In Judicio publico Calumniæ prævaricationisqve causâ, da-
mnatus l. 4. §. 4. h. t. l. 13. ff. *Qui Testam. fac. poss. l. 3. C. de Calumn.*
Notanter dicimus hîc α In judicio publico: ex quo colligitur, Damna-
tum Calumn. aut Prævar. in Privato, eoqve Civili Judicio, infamem non fieri: Id quod Imperat. Dioclet. & Maxim. in l. 5. C. de
Calum. disertè exprimunt his verbis: *Qui Calumniatores pronun-
ciantur, in publicorum duntaxat Judiciorum Quæstionibus, non etiam
in Liberalibus causis, quæ privatas disceptationes continent, periclitari
solent.* Interim tamen adversus Eum, qui in Privato Judicio calumni-
atur, aut prævaricatur, præter Actionem in factum, datur etiam Actio
Decimaria. *Accurs ad §. 1. Inst. de penâ temerè Litig. Schneid. in §. adversus
Inst. d. T. Hier. Treutl. Disp. Sel. Vol. 1. Disp. 8. th. 8. Videantur Bachov. &
Hunnus ad Treutleri d. L. β* Damnatus: Nam sola Prævaricatio,
vel etiam Calumniatio ad hanc Infamiam non sufficit, sed etiam insu-
per ipsa Condemnatio necessariò requiritur. l. 4. §. 4. h. t. Quamvis
hujusmodi Hominum famam apud Bonos & Honestos Viros eò ipsò
gravari, atqve adeò facti quandam Infamiam eosdem incurrere, neu-
tiqvam negaverim. *Vid. Treutl. Disp. Sel. Vol. 1. Disp. 8. Th. 6. Litt. B.*

3. Damnatus in Judicio Stellionatûs. l. 13. §. f. b. t. l. 7. de
publ. Jud. l. 2. Stellionatus. Quâ de Re quidem Responsa planè con-
traria extare videntur in l. 13. §. f. b. t. & l. 2. Stellion: In quibus
textibus conciliandis atqve in Concordiam redigendis, plurimi pluri-
mùm laborarunt, Nobis hæc in parte præ cæteris arridet Sententia
Donelli, dicentis, Crimen Stellionatûs Regulariter quidem & Na-
turâ suâ famosum non esse, idqve velle d. L. 2. Stell. famosum ve-
rò tunc evadere, quandò eâ ex causâ objicitur, ex quâ Actio
Famosa, puta de Dolo, locum habet. l. 1. ff. de his qui not. Inf. ar-
gumento L. Infamem de publ. Jud. Antonius Matthæus in Coll. ff. Disp.
Disp. 3. Th. 15. Tileman. in Coll. ff. Disp. P. 9. Th. 19. Franc. Duarenus 1.
Disp. 42.

4. Qui Furti, vi Bon. Rap: Injuriarum, de Dolo Malo & Fraude,
suo nomine damnatus, pactusve fuerit, nisi mox solverit Judicio
suscepto. l. 1. vers. qui furti, l. 4. §. ult. l. 5. l. 6. pr. §. 1. 2. 3. 4. l. 14. ff.
h. t. l. 5. 8. 18. pr. C. h. t. L. 7. de Publ. Jud. Damnatus verò Damni

B

In

Injuriâ dati, inter Infames non refertur ideò, quia prædictæ Actio-
nes persequuntur & vindicant facta singularis turpitudinis: nempe
tùm Rerum Alienarum inversionem per fœdissimas artes, furtum,
Rapinam, Dolum Malum &c. tùm etiam adversus Personas Injuri-
am, quæ rem omnium pretiosissimam, Existimationem puta, vio-
lat: Jam verò nocet quoque & Damnum injuriâ datum, sed non eò
spectat, ut qui dedit, eo facto quicquam improbè ad se transfe-
rat. *Donellus 28. Comment. 8. Hunnius ad Treutl. Vol. 1. Disp. 8. Th. 7.*
Bachov. ad Treutl. d. L. Meier in Colleg. Jurisd. Argentor. ad l. 3. ff. T.
2. Th. 13. Brunnem. ad Parat. W. in l. 3. ff. T. 2. quæst. 15.

5. Qui pro Socio, Tutelæ, Mandati, Depositi, Judicio Directo
fuerit Damnatus *l. 1. vers. qui pro Soc. l. 6. §. 5. 6. ult. l. 7. h. t. §. 2. f. de*
pænâ temerè Litig l. ult. C. h. t. l. 10. C. Depositi. L. 21. C. mandati. Ob-
servandum verò est, sic demùm prædictis Judiciis Damnatum infamè
fieri a si directo Judicio fuerit Damnatus, non contrario: quia in
hoc non de Perfidiâ, aut Fide Ruptâ, sed de Calculo s. de eo, quod
propter susceptum Negotium alicui abest, agitur L. 6. §. 7. de his qui
not. Infamiâ. β Si de Dolo fuerit Damnatus: Quæ Conditio etsi o-
missa fuerit in Edicto, Ratio tamen suadet, eam subintelligi.
Quod si itaque e. g. in Dividendâ Societate, de Dolo, alicujus ac
Perfidiâ non agatur, tunc Damnatus infamiâ non notabitur. Treutl.
Disp. Sel. Vol. 1. Disp. 8. th. 7. Litt. F. Wesenb. in Parat. ad l. 3. ff. T.
2. n. 5. Azo. in L. C. T. 12. n. 8.

6. Damnatus Publico aliquo Judicio *l. 7. de Publ. Jud. Treutl.*
Disp. Sel. Vol. 1. Disp. 8. th. 7. Litt. g. Schnobel. ad ff. Disp. 3. th. 18.
Zoësi Comment. in l. 3. ff. T. 2. n. 5. Qvanquàm verò ipso Edicto hâc
de re nihil sit constitutum, quia tamen adeò expressè Cautum est in
l. 7. de publ. Jud. idcirco verisimile videtur, in aliquâ aliâ Lege, vel
Constitutione, quæ hodiè amplius non extat, id expressum fuisse.
Donellus 18. Comment. 8.

7. Sepulchri quoque violati, *l. 1. §. t. t. ff. de sep. viol. C. Cum*
hoc Crimen ex aliquâ parte ad L. Jul. de vi priv. & publ. pertineat
l. 8. de sep. viol.) & Expilatæ Hereditatis (cum sit Furti Improbioris
species l. 1. §. 1. de Effraçt.) crimine Damnanis, Infamia Jure impri-
mitur Treutl. Disp. Sel. Vol. 1. Disp. 8. th. 7. Wesenb. in Paratitl. ad l. 3.
ff. T. 2. n. 5. Azo ad 2. L. C. T. 12. n. 8.

Cæ-

Cæterum *Quæri* hîc non incommodè potest: *An Ictus Fustium infamet?* Resp. cum Treutlero, Ictum Fustium per se non infamare, sed causam potiùs, propter quam hæc pæna infligitur *l. ictus 22. ff. b. t. Treutl. Disp. Sel. Vol. 1. Disput. 8. th. 7. Litt. k.* Hinc rectè quoque de Relegatione Nonnulli concludunt, quòd illa non infamet in sese, nisi ex cauâ famosâ irrogetur. Undè, si quis propter Adulterium, Furtum, Rapinam, Crimen falsi &c. fuerit Relegatus, fit Infamis: sin verò propter Digladiationem & Duellum, aut excitationes tumultus Nocturnos, quis in exilium fuerit missus, nequaquam infamabitur *l. 22. in f. b. t. Brunnem. ad Parat. W. L. 3. ff. T. 2. quest. 10. Jacobus Cramer in disp. ad Instit. Disp. 26. Th. 3, Hunnius ad Treutl. Vol. 1. Disp. 8. th. 7. Litt. k.*

Plura Exempla, quibus Infamia vel ipso Jure, vel mediante Sententiâ, imponitur, hîc adduci possent, nisi Animus esset, Rem breviter expedire: sufficiat nobis Potiora & Notiora in præsentî anno-tasse. Reliqua illa, cui accuratius perlustrari volupe est, varia illa Interpretum & Commentariorum plaustra, adire potest,

Th. V,

Et hætenus quidem de Infamiâ Juris. FACTI Infamiam, vulgò eam definiunt, quæ opinionem alicujus apud Bonos & Honestos Viros gravat, nec de Jure, sed de Facto, & ex malâ murmuracione Hominum insurgit. *l. 2. de Obseq. Par. & Patr. præst. L. 27. C. de Inoff. Testam. Zasius §. si itaque n. 8. de Act. Menoch. c. 464. n. 23. Tileman in Coll. ff. Disp. D. 9. Th. 22. Cynus super L. 2. C. T. 12. Summ. 1. n. 4.* Atque hanc Facti Infamiam communiter Dd. statuunt. Alia enim ortum suum habet à *Vulgo ac Incerto Authore*; Alia à *Judice*, vel à *Patre*, aut *Viro* quopiam honesto per Increpationem Ignominiosam. *l. 13. l. 17. l. 19. C. ex quibus caus. Inf. irrog.* Tertia denique. à *Sectæ Diversitate*, puta propter Hæresin, oritur: quanquam hæc Juris potiùs quam Facti Infamia esse videatur. De quâ tamen Divisione, hujus Infamiæ exemplis, sic quoque ejusdem gradibus, (dùm alia Levior, alia Gravior, prout Causa, ex quâ ortum habet, aut Levis, aut gravis est, constitui potest) videre licet *Wesemb. b. t. n. 2. Treutl. Vol. 1. Disp. 8. th. 8. Hunnium ibid. Ludvv. in Exerc. ad Instit. Disput. 17. th. 8. Litt. D. Antonium Matthæum in Coll. ff. Disput. D. 3. Th. 6. Zoefii Comment. ad l. 3. ff. T. 2. n. 2. Petri Costalii*

B 2

Ad-

Adversaria ad l. 1. ff. de his qui not. Infam. Franciscum Duarenum in. l. 3. ff. T. 2. c. 2. Cynum super l. 2. C. T. 12. Summ. 1. n. 2. Azonem ad L. 2. C. T. 12. n. 3. & 4. & Alios.

CAP. III.
de
CAUSSIIS.

Th. I.

 **C**AUSÆ Infamiam [constituentes] sunt vel *Interne* vel *Externæ*: *Externæ Causa Efficiens* atque *finis*, *Internæ* sunt *Materia* atque *Forma*. EFFICIENS *Causa* Infamiæ est vel *principalis*, vel *ωεγνατὰρ πύλην* seu propter quam, vel *Instrumentalis*. *Causam* Effic. Infamiæ *Principalem* quod concernit, sciendum est, Infamiam vel *legel. 1. §. 2. h. t. l. 41. c. de Transact.* vel *Judicis sententiâ l. furti 6. l. quid ergò 13. h. t. vel opinione bonorum & honestorum hominum, l. 2. de Obseq. Par. & Patr. qv est. irrogari: Causa eff. ωεγνατὰρ πύλην seu propter quam infamia imponitur, est Dolus, vel simile crimen, quod in Dolum incidit, ut Perfidia, Impostura, cui quoque culpa lata annumeranda venit. *l. furti §. fin. h. t. l. 1. §. 5. de Oblig. & Act.* *Causa Instrumentalis*, quâ judex Infamiam inurere solet, varia est: modò enim disertis verbis, quandoque etiam factò, puta motione ab ordine, fustigatione, & similibus modis infligitur. Quæ tamen genera pœnarum non infamant per sese, sed ex causâ, propter quam easdem introducimus. *L. actus 22. h. t. l. ad tempus 6. c. eod. l. capital. 28. §. 1. ubi glossa ad verbum, ad Tempus, de pœnis.**

Th. II.

MATERIA Infamiæ est vel *Subjectiva*, vel *Objectiva*. *Subjectiva* materia sive Subjectum, cui Infamia imponitur, est delinquens & Homo Noxius: Huic enim propter vitæ turpitudinem, vel aliquod delictum patratum, aut lex aut homo damnus existimationis imponit. *Objectiva* materia sive objectum, circa quod versatur Infamia imponenda, est fama atque existimatio, quam suo decore ac jure privat Infamiæ labes.

Th. III.

Th. III.

In quâ ipsâ quidem deminutione & læsione honoris, FORMA quoque Infamiæ interna consistit, *Meier in Colleg. Jur. Argent. ad l. 3. ff. T. 2. n. 31.*

Th. IV.

FINIS Infamiæ est vel *Generalis* vel *Specialis*. *Generalis*, communis est cuiuslibet pœnarum irrogationi, atque eò tendit, ut scilicet delicta propter mandatum DEI, & ad publicam tranquillitatem conservandam, puniantur & emendentur formidine pœnæ, qui virtutis amore à scelere abduci nequeunt. *l. 6. §. penult. l. si pœna 20. l. 28. §. famosos ff. de pœnis. Specialis* verò in eo consistit, ut videlicet ejusmodi maleferiati ac Infamia notati homines, aliorum proborum consortio eximantur, & separentur ab aliis honestioribus. *Vid. Schnobel ad l. 3. ff. T. 2. Diss. 3. Th. 8. Wesenb. Parat. ad l. 3. ff. T. 2. n. 1. Franc. Duarenus ad T. de his qui not. Inf. c. 4. Cynus. super c. l. 2. T. 12. n. 1.*

CAPUT IV.

de

EFFECTU, COGNATO, ET DISSENTANEIS.

Th. I.

FFECTUS Infamiæ est vel *Communis* vel *Proprius*. *Communis* tam juris, quam facti Infamiæ 1. repellit à dignitate & honoribus. *l. 2. c. de dignit. 12. 1. l. 3. C. de re Milit. 12. 36. l. 4. §. 6. 7. eod. l. 7. §. ult. l. 8. de Interd. & Releg. L. 5. §. 1. C. ad l. Jul. Maj. l. 8. C. de Decurionibus 18. 31. l. 1. pr. ad L. Jul. de Vi Priv. 2. facit, ut fratres exheredati possint inofficiosi querelâ Testamentum evertere, in quo institutæ sunt Personæ Infames. l. 27. C. de Inoff. Testamento Meier in Colleg. Jurid. Argent. ad l. 3. ff. T. 2. n. 32.*

Th. II.

Effectus Infamiæ *JURIS* proprius est, 1. quòd ea semel jure imposita, perpetuò duret. *DD. ad l. palam 43. §. 4. ff. de Ritu Nupt.*

B 3

l. 63.

l. 63. ff. de Furtis. Personam enim, quam semel contaminavit (*inquit Marq Frebter. l. 3. de Inf. c. 23. n. 7.*) velut leprosum lepra sequitur. Id quod tamen aliquam distinctionis temperie opus habet: Nam si cum poenam perpetuam, macula hæc aspersa fuerit, non dubium est, quin ea ad omnem vitam duret, nisi à Principe sit remissa, aut populo, qui non recognoscit superiorem *l. solet 18. b. t. l. final. C. de general. abolit. l. 13. C. de Sent. pars. & restit.* Quod si verò tantummodò ad certum tempus quis fuerit punitus, unà cum tempore sententiæ expresso, hæc labe vicissim tollitur, nisi ex crimine, quod ipso jure famosum est, Eadem imponatur. *l. 3. & 4. C. de Sent. pass. l. Imperator 8. de postul. l. 5. & 3. de Decur. l. falsi 13. §. 1. adl. Cornel. de falsis. 2.* Quod ab omnibus dignitatibus, etiam acquisitis repellat; quippè cum ea quodammodò delinquentis ossibus inhæreat, nec ab eo separari possit. *c. Infamibus de R. J. in 6to. 3. Quod removeat à postulationibus l. 1. §. 7. & seqq. de postul. Wesenb. ad l. 3. ff. T. Contin. Zoësti Comment. in l. 3. ff. I. 2. n. 1. Meier in Colleg. Jurid. Argentor. n. 33. Tileman. in Coll. ff. Disp. D. 9. Th. 12. 4. Quod Infamiæ Juris iniusti, communi usu sint intestabiles, nec eorum Testimonium fidem ullam faciat, ut tradunt Glossa & Dd. in l. 1. C. de summâ Trin. per l. ob carmen ff. de Testibus,*

Th. III.

FAC TI Infamiæ effectus duos præcipuè Jura nostra agnoscunt. Primus est, quod & hoc modò infamis, à dignitatibus acqvirendis repellatur, per *l. 2. c. de dignit. l. 12. 1.* Alter, quod hæc Infamia auctoritatem testimonio dicto minuat, atque illud quodammodò reddat suspectum. *l. 3. pr. ff. de Test. Vid. Duarenus Disp. l. 2. c. 22. Wesenb. in Parat. ad l. 3. ff. T. 2. n. 8. Meier in Coll. Jurid. Argent. l. 3. ff. T. 2. n. 32. & 33. Zoësti Comment. in l. 3. ff. T. 2. n. 17. Brunnem. ad Wesenb. d. l. quest. 38. & 39. Treutl. Disp. Sel. Vol. 1. Disp. 8. Th. 8. lit. D & E. Cynus ad 2. l. C. T. 12. n. 2.*

Th. IV.

Levis notæ macula **AFFINIS** est Infamiæ. Oritur verò ista, vel ex sordido ac contempto vitæ genere, ut est in licitoribus, carnificibus &c. vel ex illegitimâ nativitate *l. 12. c. de Nativ. lib.* ut spuris, qui ideò in collegium opificum non recipiuntur. *Richter. Decis. 8.* Quam ipsam tamen maculam, filii licitorum, opiliones, molitores, legitimi
mati

mati per subseq. matrimonium, ducens ab alio imprægnatam, qui Torturam sustinuit & c. non laborant. *Carpzov. P. 2. C. 6. D. 12. & seqq. Hahn ad Wesenb. t. de his qui not. inf. n. 2. Arnoldi de Reygers Thesauris Juris, in voce Infamis. Dn. Struv, Th. 20. hic Brunnm. ad h. t. quest. 5. & 29.*

Th. V.

Contraria five modi & cautelæ, quibus Infamia vitari, vel etiam tolli potest, hæ sunt præcipuè: 1. Si reus per procuratorem in judicio se defendat; quo casu nec procurator fiet Infamis, quia alieno nomine condemnatur, nec principalis, quia non ipse, sed alius condemnabitur. *Vid. Wesenb. parat. 3. ad l. ff. T. 2. n. 9. Brunnm. ad Wesenb. h. t. quest. 9.* 2. Si pœnam pecuniariam, quæ per sententiam imponi potest, reus ante offerat, quàm sententia condemnatoria feratur. *l. si Reus. 73. de procurat. pecunia igitur ejusmodi à reo realiter oblata, aut nolente adversario recipere, apud acta deposita, juxta l. accept. 19. c. de Usuris l. ob sign. 9. e. de solut. liberabit reum à maculâ Infamiae.* Verùm illud hic quæri potest, quando oblatio facienda sit, utrùm ante litem contestatam, an verò etiam post offerre liceat? Rectissimè Bartolus in l. 22. h. t. ait, offerre oportere *antel. contest.* Nam (inquit) si post offerret reus, videretur solvendo confiteri crimen *l. quoniam h. t. cum autem paria sint, aut confessum esse de crimine, aut damnatum L. 1. de Conf. L. post rem jud. de Jud.* Ideò Confessum atque ac damnatum labes sequeretur. Atque hi sunt isti duo modi primarii, quibus Infamia imponenda impediri solet: Modus verò tollendi Infamiam jam jam impositam, hic erit præcipuus: Si scilicet per integ. restituit. Princeps vel Senatus famam notato restituat. *l. 10. §. 10. h. t. l. 2. 3. de Sent. pass. & restit. l. 1. 6. ult. pr. & §. ult. c. eod. atque ad eò hæc restitutio specialis, Infamiam juris semel injustam iterùm extinguit: Facti verò Infamia contrario facto facillimè aboletur atque tollitur. Vid. Tileman in Colleg. ff. D. 9. Th. 22. Wesenb. ad hunc T. n. 9. Brunnm. ad Parat. W. hic quest. 47. Meier in Coll. Jurid. Argent. ad l. 3. ff. T. 2. n. 34. Schnobel Diss. 3. ad l. 3. ff. T. 2. Th. 12. Treutlerus Sel. Diss. V. 1. Diss. 8. Th. 8. litt. a. Azo ad 2. l. C. T. 12. n. 13. 16. & Alii.*

Atque hæc pro modulo ingenii mei de hac satis intricatâ materiâ, qualiter qualiter elaborata, sufficiant. Uberius hæc de re differendi facultatem quod si desideres, L. B. varios ff. & C. Commentarios placebit consulere. Nobis cum tantummodò *ὡς ἐν ἴπρω* hanc ipsam

ipsam materiam proponere animus fuerit, idcirco erubescimus plus
iusto hac in parte esse prolixiores. Quin potius à B. L. veniam, si for-
sitam quædam minus aptè aut accuratè fuerint apposita, eâ quâ par
est, oramus observantiâ, atque ut hæc nostras juris primitias, æqui
bonique consulere velit, eundem submissè petimus.

TMemata pulchra affers de re non (crede) venusta,
Nam potes ingenio cuncta polire tuo.
Gratulor hinc GRIEBNERETIBI, Deus ausa secundet;
Atque hæc sunt voti meta caputque mei.


Gratulab. pos:
C. J. L.

Dum qualis quanta, & quotuplex *Infamia* cuivis
Monstras hoc scripto GRIEBNERE, Tibi bonus Augur
Esse volo: Post hinc fugiat Te *Infamia* quævis
Omnis & incolumis sed laus, sed fama sequatur.

gratulabundus Amicissimo suo apponebat
C. Dehne/ J. S.

Cum DEUS è glebâ mortales conderet, istis
Rectricem fectur, præposuisse piam.
Dicitur hæc Virtus, facie pulcherrima, mundo
Ostendens Numen quâ ratione colat.
Quæ super iratus tristis moderator averni
Emisit Stygio crimina quæque lacu.
Demirans mortale genus tot monstra, relinquit
Virtutem, ignavum sic sequiturque Nefas,
Post hæc fit gravidum scelus, & dispendia famæ
Procreat; ast partus matre fuit nigrior.
Succrescens uno dicta est *Infamia* proles
Nomine; sic fœdum res mala nomen habet;
Res mala; nam miserò quondam Virtutis alumnos
Torquet, nunc sceleris pessima mancipia.
Hæc animadvertens Virtus sibi tempus adesse
Dixit, mortales quo reparare queat.
Nam mortale genus respiscet, Crimina famæ
Visurum, post se ducere damna suæ:
Sic ait, atque suum Te nunc GRIEBNERE subornat
Natum, qui doceas quid mala fama fiet.
Maeste tuâ Virtute; tubam jam fama perennis
Sumit, sicque Tuum Nomen in orbe sonat.

gratulab. apponebat Amico dilectissimo
Fridericus Tobias Mœbius, Lips.
✽(o)✽



Leipzig, Diss., 1666-67

ULB Halle 3
004 792 742




f


Sb.

Einband beschädigt

V317







13.

B. C. D. *Pr. 36. num. f. a*
1667, 10 a
34

Nobilissimi Jctorum Ordinis

In
Inclytâ Lipsiensium Academiâ

A. 1667. d. 12. Decemb. H. L. Q. C.

Sub
PRÆSIDIO *XLIII.*
VIRI

P. 253

Nobilissimi, Consultissimi, atq; Excellentissimi

DN. BARTHOLOMÆI LEON-

HARDI SCHVVENDENDÖRFFERI,

J. U. D. & Instit. P. P. Celeberrimi, &c.

Patroni, Promotoris, ac Præceptoris Opt-Max.

DISPUTATIONEM

DE

INFAMIA,

Publicæ Disquisitioni

subjicit

JOHANN CASPAR GRIEBNER,

Lipsiensis.

LIPSIÆ,

Literis JOHANNIS ERICI HAHNII.

